Q. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA
DE

GELATINIS,

QUAM

FAVENTE DEO,

CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA,

PRÆSIDE

ALEXANDRO CAMERARIO,

MEDIC. DOCT. ET PROFESS. ORDINARIO,

PLACIDO COMMILITONUM EXAMINI SUBMITTIT

CHRISTOPH. FRID. SCHNEPFFIUS,
STUTGARDIANUS.

AD D. SEPT. ANN. MDCCXXV.

HOR. LOC. CONS.

TUBINGÆ.
Typis JOH, CONR. REISII VIDUÆ.

VIRO

ILLUSTRI et EXCELLENTISSIMO,

DOMINO
JOHANNI CONRADO HELWERO,

SERENISSIMI WURTEMBERGIÆ DUCIS
CONSILIARIO REGIMINIS SENIORI,
CONSILII TUTELARIS PRÆSIDI

NEC NON

SUPREMI DICASTERII ASSESSORI. Rel.
JCTO CONSUMMATISSIMO,
MULTORUMQUE IN PATRIAM MERITORUM
GLORIA PERINCLYTO

DOMINO SUO EVERGETÆ, PATRONO ATQUE COGNATO

PER OMNEM ÆTATEM PARENTIS AD INSTAR
COLENDISSIMO,

PRÆSENS EXERCITIUM ACADEMICUM
IN ULTERIOREM PATROCINII SPEM,
CUM VOTO PRO FELICITATE OMNIGENA,
SUBMISSA CUM VENERATIONE
OFFERT & DEDICAT

CLIENS DEVOTISSIMUS

CHRISTOPH. FRID. SCHNEPFF.



Σὺν Θεῷ.



B Academiâ patriâ ad exteras diſceſſuro, Mecænatibus autem & Parentibus ſtudiorum ſpecimen relicturo mihi opportunè ſuccurrit, Statuta Collegii Martiniani ab alumnis ſuis iſtud exercitii genus poſtulare. Quò minus ergò temeritatis & audaciæ accuſari poſſum, qui autoritatem ita publicam habeo, quâ me tuear; Eò magis gratum B. L. ſpero fore thema meum, diſputationibus academicis, quantum mihi conſtat, necdum adeò frequenter, ut fieri quidem cum aliis ferè ſolet, repetitum. Primò equidem, fateor, huic ipſi inſtituto minus convenire videbatur, tanquam non ſatis controverſum: Verùm enim verò plures in progreſſu inter elaborandum deprehendi difficultates, quàm quibus expediendis me parem confidam. *Itaque ad Fontem Salutis aſpirare non deſinam, undè vires animo accedant & corpori, tam Medico neceſſariæ, quàm ægro utiles. Juva Jehova!*

GElatina vox eſt officinarum, non Latii; dixit Ol. Borrichius in ling. Pharmac. An igitur rectius, quibus vocabulum *Gelu* in uſu eſt? Scilicet & Latini tales & Galli ad qualemcunque iſtam ſimilitudinem reſpexerunt, quâ

 glaciem

glaciem utcunque referunt concreta iſtiusmodi juſcula, unde etiam horum *Gelée.* Unde verò ſynonymum *Galreda?* Et in vernacula *die Sulzen*, inſulſæ utique, ſale tamen chymico benè fœcundæ? Talia docebunt, qui linguarum ſcrutantur origines. Illud modò quæri poſſet: An rem ignorarint, cujus nomen non habuerunt, Veteres? quod tamen vix videtur; Nam præter jura carnium, garon piſcium, varia etiam noverunt conficere glutina. Nihilominus apud Dioſcoridem, reliquosque materiæ medicæ Scriptores, utut prolixos de præparationibus animalium ad uſus medicos, oſſium tamen cornuumque gluten non invenio: Peculiare caput extat apud illum de cervino cornu, in quo nil quidquam de gelatinâ ejus. Vapulant etiam apud Zwelferum & Charas veteres, quòd pro theriacâ paraturi trochiſcos viperarum, carnem coctam ſervaverint, juſculum effuderint, gelatinoſæ virtutis vel ignari, vel incurii. Nec fortè olim Chymici oſſa per aquam aut vaporem gelatinâ privata philoſophicè vel hermeticè præparari vel calcinari dixiſſent, quod prædicatum hodiè ita exſibilant, ſi vulgo nota æquè tunc fuiſſet, ac nunc eſt, gelatina.

II. Innotuit ipſis diverſa utique *Colla* græcorum, latinorum *Gluten*, non modò mineralis *Chryſocolla*, ſ. borrax, necdum ſatis nota, ſ. electrum, ferruminando auro conveniens, ſed etiam vegetabilis *Sarcocolla*, quæ carnes ſaucias conglutinet, ſicuti glutinum ligna, imò animalis *Ichthyocolla*, *Taurocolla*, ex ventre piſcis, corio bovis excocta, à lignis, quibus glutinandis deſtinatur, *Xylocolla* dicta. Gelatina autem quid eſt aliud, quàm gluten in fieri; & habet omninò in vel ex vegetabilibus prolixam ſubſtantiarum convenientiam. Præter *mucilaginem* ex cortice, non germine, quorundam ſeminum, & ſpecies illas præcipuas notasque *gummi* tragacanthæ & arabicum, item *viſcum* ex cortice aquifolii, modo apud Rajum in hiſt. plant. deſcripto,

deſcripto, parandum, & *glutinum aucuparium* ex viſci baccis, de quo prolixus Matthiolus, aut *ſymphytum* fauces præcludens, aceto liberandas; præter etiam *gelatinam* illam *juniperi*, & ſimile mucoſum *meteorum* ſtellarum cadentium, quod Plinio ſaliva ſiderum, aliis cœli flos aut cœlifolium, Paracelso noſtoch vocatur, de quibus Cnœffelius & Menzelius in E. N. C. Ann. 7. app. & Dec. II. A. 9. præter, inquam, talia multa proſtant in officinis *electuaria lucida*, e. g. diacydonion, diaribium, ex pomis item, rubi idæi baccis, prunis & ſimilibus fructibus, cum ſaccharo parari ſolita, quæ à quibusdam ſub eodem gelatinæ titulo comprehenduntur, eodem nomine veniunt. Has modò ſeponam, quia ſuppetit abundè ex animalium gelatinis, quod has pagellas repleat. Nec harum formulas deſcribam, aut omnem ipſarum pharmaciam proponam, quippe quam norunt commilitones obviam in ſcriptis Celebb. *Schræderi*, *Mœbii*, *Wedelii*, &c. Sed excerpam modò theſes, occaſione cauſarum & facultatum ipſis attributarum, miſcellaneas.

III. Fundamenta virtutis & uſûs, unde rationes effectuum dari poſſint, ſunt duo illa artis noſtræ principia, ratio & experientia, tam propria quàm aliena. Primo igitur loco ſtant *manifeſtæ* gelatinarum *qualitates*, inſipiditas, lenitas, ſolubilitas, viſciditas, vi quarum ſpectant ad cenſum medicamentorum temperatorum & temperantium calorem atque ſiccitatem; humectant, diluunt, alterandæ etiam ad refrigerandum fortiùs, opponendæ aut convenientes acrimoniæ, tenuitati, ſtricturæ, denudationi, quia involvunt, incraſſant, relaxant, emolliunt, demulcent, oblinunt. Sic declaratâ benignâ earum naturâ, eſui uſuique medico aptâ, cibum obtineri ſperamus, qui nec qualitate adverſâ faſtidioſum ſtomachum offendit, nec languidum gravat, aut infirmo reſiſtit, quin etiam à debili conficitur, & promovetur,

 per

per vias chyli quò debet porrò deducendus. Respectu verò partium nutriendarum, non modò substantiam ipsarum non absumit, verùm etiam quæ rapiunt particulas deprædatrices involvit, motumque fortiorem temperat, imò aptam pro restauratione deperditi materiam constituit, ita quantitatis & qualitatis vitio prospiciens. Firmat hasce facultates beneficas origo animalis, & obvia cum succo nostro nutritio convenientia. Valet enim hîc, quod dicitur: Nos talibus conservari & nutriri, qualibus constamus. Analogiam offert humorum pulcherrimus, crystallinus, siccandus tamen in crustulas. Ex ipso sanguine parandi gelatinam modum docet *Kænig* in regn. anim. cujus in sanguine, non hujus, defectum inveniri ajunt in animalibus fame enectis. Ita vi caloris concrescit lympha nostra: Nondum ita serum lactis; Non amplius serum urinosum; Aliter etiam pituita vel mucus hinc inde exsudat è glandulosis tunicis, quàm hæc veterum vel pituita naturalis, vel ros, aut gluten. Talis itaque substantia, cùm non violenter, sed adeò facilè, simplici caloris humidi vi, nimirum lentâ coctione in aquâ, obtineatur communiter & largiter ex durâ solidâque corporis animalis compage, hinc à *Papino* voluit haberi pro qs. cæmento naturæ, quo jungat particulas terreas; imò pro criterio vitæ diversimodè durabilis per animalium species, ad clariores fortè causas reducendæ, si quis differentias gelatinarum in quantitate & qualitate per diversas eorum species, ætates, & partes prosequeretur exactiùs. Scilicet in genere quidem largus ille proventus gelatinæ satis notus est, natura autem ipsius & differentiæ non item. Undè etiam in desideratis est apud *Stahlium* in Zymotechn. historia glutinum, è quibus tamen totum animal constat. Quomodo autem ipsum gluten, seu mixtura talis è sale, terrâ & oleo, variâ proportione & tenuitate unitis fiat, cujus princi-

principii artificium vel effectus ſit ? hoc determinabunt Philoſophi. Vix equidem alîus, quàm quod vel materiam pro ſingulis ſpeciebus & partibus format, vel elementa ſpecificè miſcet. Ex aquâ conſtare omnia voluit *Helmontius*, prætendens etiam mucilagines ſeminum connubio inſpiſſatas, & è corpore ſuo reſolutas, fieri glutina, gummi, collas: Et illi præpoſuit ſemen, fermentum, multiplicationis & mutationis principium. Modò proceſſum liceret capere, credere non foret opus. Indè verò ſunt tales ſubſtantiæ inimitabiles, non producibiles per mixtionem vel elementorum Ariſtotelicorum, vel principiorum Hermeticorum. Cui ſecus videtur, butyrum ſine lacte, coria ſine pellibus conficiat, ad ſcomma Curioſis Anglorum primitus objectum.

IV. Alterum principium gelatinarum ægris proficuarum venit ex laboratoriis chymicorum, ſcilicet unde & ſalia & ſpiritus cornu cervi & eboris, ſimilesque prodierunt. Extrahit aqua, ſimplex illud menſtruum, ſimplici etiam operatione, cum & in gelatinis ex oſſibus & cornibus futuram materiam *ſalis volatilis*, cujus copia tanta provenit ex toto regno animali, quâ ſeparatâ relinquitur calx ſive terra, aut caput mortuum, illo principio deſtitutum, cùm tamen ex gelatinâ per retortam deſtillatione obtineatur largiter. Scilicet tum aduri ipſam neceſſe eſt, aut aliàs putrefieri priùs, quàm ſe manifeſtet ſalis urinoſi forma. Chymicorum eſto, determinare modum ſpecialem hujus vel analyſeos, vel ſyntheſeos, aut geneſeos: An præexiſtat ibi tale ſal, ſed occultatum, ad inſtar gladii in vaginâ reconditi; an noviter producatur ab igne, per materiæ novam figurationem, vel novam particularum mixtionem. „ Omne diſtillatum, inquit *Helmontius in ad. præcl. ad cond.* eſt nova creatura, per ignem producta; adeoque non ex primo ſui concreti inſtituto. Quicquid per ignem prodit, etſi ſit naturale, profluit tamen è

principio

principio naturæ obliquo, ſeminalia initia detorquente ad ignis lubitum. Hinc quicquid per ignem conficitur, vitam primam, mediam atque ultimam ſimul acquirit, liquanturque ſimul junctim. &c. Decocta autem non ſunt entia, qualia per diſtillationem proliciuntur, ſed tantùm translationes unius entis in medium ſibi peregrinum. „ Quicquid hujus ſit, medico certè ſenſu & uſu corpus noſtrum mox in primo limine teſtatur ſe aliter affici, & fortiter nimis percelli à ſale hoc, quàm ejus gelatinâ; adde oleum empyrevmaticum, fœtidum, ſine quo non obtinetur ſal adeò alienum, & diſcrimen erit clarius. Recondidit natura in vegetabilibus inflammabilem, in animalibus urinoſum ſpiritum, nec ita voluit manifeſtum; pro uſu tamen corporis humani vim demonſtrat eruendi, reſolvendi & applicandi, quod ſibi neceſſarium & utile. Remotius ergò hæc fœtura ſalina & ſulphurea erit principium.

V. Tertiò, gelatinæ commendari ſolent tanquam *ſpecificorum* quorundam remediorum quinta eſſentia. Trium autem modorum agendi ſ. ſpecificè alterandi, evacuandi, confortandi applicantur ſinguli. Sunt *alexipharmaca*, cervina, viperina, &c. conditioni materiæ peccantis malignæ opponi ſolita; ſunt *antiſpasmodica* eadem, ebur, unicornu, &c. quæ nervinorum in cenſu eminent; Sunt *diaphoretica*, cùm eorum pleraque promoveant diapnoen. Niſi quòd & primum modum per manifeſtas qualitates explicet *Screta*, ſcilicet malignarum virus glutini ſeu viſco inhæreſcere, ſpicula corrodentis ſalis involvi cornibus, oſſibus, dentibus, & ex quibus gelatum jus excoqui poteſt. Illæ autem tertiæ, olim occultæ, qualitates vix poſſunt hîc transmitti ſine dubio: Cùm enim controverſum ſit, an & quantum ſpecificæ talium animalium vires conveniant & differant, non poterit non ad eorum uſque gelatinas dubium ſe extendere. An prætenſæ

iſtorum

iſtorum vires ſint integrorum, an etiam exindè præparatorum, ſi non omnium, tamen adhuc integritati propinquorum? Scilicet ut de vitâ mediâ Helmontii quid ſuperſit, qui periapta talia oſſea & cornea proponit, & amuletis vim influentiæ directivam, citra evaporationem, aſſignat. Res per exempla erit clarior: An cornu cervinum ebori vel unicornu ſit æquivalens antiſpasmodicum? An gelatina pedum vituli par ſit viribus cervinæ; eboraceae? An, cùm ſuppetat ichthyocolla, carere & ſuperſedere poſſimus illis omnibus? Hæc talia ego quidem commendo prolixæ *medicinæ tentativæ*, ſeu examini materiæ medicæ rigoroſo.

VI. Ex prætenſâ verò facultate ſpecificâ fluit ſpecialior quarundam gelatinarum uſus, cui quidam multum tribuunt, alii parum, vel nihil: Imò ſunt ex eis, quas cum horrore nonnulli averſantur, alii haberent tanquam indifferens, modò non dubitandum ipſis videretur de ſucceſſu. Ex. gr. *Hartmannus* contra podagram commendat in cibo *galredam oſſium humanorum.* Tales autem anthropophagos exagitarunt olim Ludovici & Rivinus. Externè ex aliis oſſibus parant alii epithema podagricis, quale deſcribitur in *Theſ. Secr. Cur.* Similis eſt ratio partium genitalium, è quibus e. gr. taurorum gluten confici jam olim monuit Plinius; Nam *cervi* (non præciſè in coitu transfoſſi) atque *ceti priapus* laudantur e. g. ab *Etmüllero* ad dyſenteriam, ſi non à virtute ſpecificâ, tamen ob glutinoſam ſubſtantiam. Sed hæc iterum virgulam merentur cenſorum iſtorum materiæ medicæ. Non minus perſtringuntur *viperæ*, quia inter illa animalia, quæ dum vivunt venenata ſunt & nobis exoſa, nec poſt mortem arefacta, oculis, naribus aut linguæ arridere poſſunt. Nihilominus frequens eſt earum apud Italos uſus; unde miſſis aliis allegabo ſaltem *Lanciſium*, qui non modò inter cardiaca & alimenta optimi ſucci retulit jura viperata, ſed & Ipſe ejus uſu (poſt rhabarbarum & chalybem) convaluit, cùm longâ cor-

dis contractione, & pulsûs intermittentiâ laborasset. An ergò præ spinis & carnibus convenientior earum *gelatina*, quæ vel Magnatibus celebrari solet? An contra sui generis venenum tantum potest curatoriè, quantum ille pulvis, qui à prætensâ hâc virtute *bezoardicum* vocatur *animale?* Hoc enim Ludovici ipsi adhuc reliquit, qui tamen conqueritur, quòd medicum in extremè malignis, imò simpliciter intermittentibus, destituat, in inveteratâ psorâ & leprosis dispositionibus parum juverit, sæpe cutaneos ardores potius intendisse visus. Non prosequar ulterius differentias hasce specificas, unde quæstiones plures paradoxæ possent exsurgere; An e. g. *Judæus pleuriticus*, si non pro cibo, fortè tamen pro remedio admitteret, quam Etmüllerus laudat, *gelatinan dentis apri?* An *Pythagoricus*, mundam sine carne cœnam affectabundus, *gelatinam cornuum*, quæ sponte *cervo* cadunt, excluderet? &c. Sed simpliciter innuam, mihi simplicitatem placere, & cornu cervi atque ebur sufficere.

VII. *Ludovicus* non vult *siccari* gelatinam, alutariorum more, quia vix sine glutinis fœtore id fieri queat. *Wedelius* d. med. comp. ext. Gelatinæ, inquit, *exsiccatæ* & *pulverisatæ*, viscosæ, piceæ, quasi minus bonæ, undè non facilè in usum trahendæ, lædunt enim ventriculum. Et in Pharmac. à magnâ admodum quantitate gelatinæ, propinatâ Illustr. puero variolis decumbenti, vomitus ante mortem nigricantes ferè, & colore æmulantes gelatinam, occasionem dederunt Laud. Viro monendi, ne præbeantur illæ vetustæ, ingrati ac putidi saporis, vel nigræ, opacæ, duræ, cornu referentes, stomacho maximè ingratæ & infaustæ. Utique jam olim Plinius gluten, quò candidius, eò probatius dixit, nigrum & lignosum damnavit. Scil. adulterari etiam observavit quibusve pellibus inveteratis, calceamentisque etiam decoctis. Siccandæ autem viderentur gelatinæ, quia non durabiles, in-

primis

primis æstate; quia tamen adeò facilè parabiles, minus erit opus istis. Ego quidem humidam recentem toties expertus, siccam nuper naribus & ore modò examinavi, & non adversam, inodoram ac insipidam deprehendi, nisi ipsum viscosum ipsius proprium saporem velis dicere, fatuum cæteroquin gluten sensus non ferit. Ne verò per negligentiam, dum siccantur gelatinæ, adurantur & empyrevma contrahant; cautu non erit difficile. Prostat in officinis, præter siccam cervinam, talis quoque *composita*, scil. obtenta ex rhinocer. unicornu, alcis, eboris, &c. philosophicâ præparatione; ne quid pereat. Cujus usus & per se non est infrequens, scil. in fervido jusculo ex tempore solvendæ, & per accidens quoque famosus, nim. tanquam medii pro colligendis in pilulas aut trochiscos pulveribus: Ita Cephalicus, quem reliquit *Præsidis B. Avus* redigitur in pilulas pro iis, qui pulveris formam non amant; *Zwelferus* bolum armenam, cornu cervi ustum & philosophicè calcinatum, cranium humanum, aprorum dentes, suum item pulverem cervinum & viperinum, vel decocto cervi & viperarum præparat, vel gelatinâ imbuit, viribus ita propriis seu humiditate suâ radicali iterum insuccat. Et hoc respectu ad specificas talium vires mucilagini gummi tragacanthæ, ordinario pulverum vinculo, gelatinas illas prætulerunt multi. *Riverius* trochiscos alexipharmacos, *Cnæffelius* suos alexipharmacos viperinos, venerem confortantes, lapides serpentinos, antepilepticum solare, lunare, *Fullerus* lapidem alexiterium, &c. ita parat; pulverem cantianum quoque cum gelatinâ viperarum in trochiscis exhibet *Thes. Secr. Cur.*

VIII. Dum coquitur gelatina & exsiccatur; si quis vel nihil velit perdere, vel *captare* speret cum aquâ nescio quid vel nutritium vel alterans, per me licet colligat *vaporem* imposito alembico. *Papinus*, qui τὸ gelatinosum non esse evaporabile

porabile monuerat, documento utique gelatinarum ſiccarum, poſtmodum tamen ſibi viſus eſt obtinuiſſe in vaſe ſuo clauſo gelatinas ſapidiores, ut ſuſpicatus fuerit, communi modo perdi quid volatile. *Mynſichtus* dedit aquas pulmonum vituli, caponis, antiphthiſicam, imò de cornu cervino deſtillatam, alii ſimiles, ut in citato remediorum ſelectu & Theſ. Secr. Cur. ex capo, ex gelatinis, juſculis conſumm. ſuccis herbarum & fructuum ad renum & veſicæ vitia. De talibus notum eſt illud *Ludovici*: Teneriorum aliquos è tabidis, ſqualentes arentesque (per actualem frigiditatem, aut acceſſoriorum fragrantiam, deſtinationemve pectoralem) aliquantum adhuc refocillatos vidimus, reſtitutum verò neminem. Vel, ſi placet, illud *Zwelferi*: Sani carne & pane, à morbo debilitati juſculo & gelatinâ veſcemur, ſpreto vapore. Item: omiſsâ aquâ caponis compoſitâ, vel omiſſo in deſtillando balſamo embryonis capone, gelatinam ipſius uno & altero cochleari aquæ deſtillatæ aromaticæ generoſæ dilutam prægnanti exhibendam.

IX. *Boyleus* & *Papinus* vaſi cochleâ obturato, in *mariæ balneo* pariter cochleâ firmato, incluſas duriores carnes percoquere, oſſibus etiam maximè talibus gelatinam extrahere, cùm didiciſſent, novæ hujus digeſtionis modum & organon ulterius extendere, navigantibus inprimis commendare ſunt aggreſſi, monſtrantes hinc parſimoniam ligni ſ. ignis & aquæ, paucis carbonibus, brevi tempore, in majori copia obtinendam gelatinam, indè bonum hoc nutrimentum, quod ſimul humorum acrimoniam, ex ſale conditis & fumo induratis carnibus contractam, corrigat. Philoſophis compreſſi äeris & aquæ, dum igne aguntur, tanta vis expendenda relinquitur. Pro medico gelatinarum uſu inter nos digeſtore illo novo nondum fuit opus, ſub vili cornu cervi pretio, ſub facilè parabili raſurâ eboris, ne de vitulorum pedibus quid dicam;

cam ; Nisi fortè penuria lignorum nostrates olim quoque monuerit cogitare de talibus compendiis , aut evolvere die *holzspahr-kunst Glauberi* ; nam multo ligno opus est , dum fœminæ caponum illam galredam in vase stanneo per cochleatum operculum clauso excoquunt , edoctæ procul dubio ut Papinus à chymicis per analogiam mariæ balnei.

X. *P. Lana in mag. nat. & art. t. 2. l. 1.* artificium hoc proponit: Ossa, ebur, & simil. ut mollescant, coloribus omnigenis imbuantur , & in quamlibet formam fingantur. Scilicet digestione ipsorum in *aceto destillato*. In manuali primo *Paracelsi* præter acetum etiam *lixivium* destinatur emollitioni ossium. *Schrœderus* quoque acetum commendavit ad promovendas è durioribus ossibus gelatinas. Inter mangonia ebur aquâ forti excavari , aliterve fingi, *Ludovicus* monuit. *Papinus* autem ebur , utut coctum in oleo , cerevisiâ , aquâ , molle tamen & plicabile reddere non potuit, gelatinam quidem obtinuit , ut priùs , vel jungendis vitris aptam , sed ebur mansit fragile. *G. Francus* ex *Plinio* de cornutis : Cornuum adeò sequax natura est, ut in ipsis viventium corporibus ferventi cerâ flectantur , atque incisa nascentium in diversas partes torqueantur , ut singulis capitibus quaterna fiant. Ut porrò, quod & ibidem legitur , in laminas secta transluceant, atque ita lumen inclusum latiùs fundant , item ut pectinis usum præstent , præparari , emolliri , diduci , explanari debent per proprios artifices , quos *Chr. Weigelius* in theatro vocat *die Hornrichter*. Adde alios ibi glutinum & pergamenæ membranæ &c. magistros ; vel & applica modum texendi naturæ analogum , quem inculcat *Helmontius filius* in paradoxis. Quâ occasione vel verbo facienda mentio *Rosæ* illius ex pergameno, quæ placuit *Bechero in der närrischen weißheit* no. 28. cui subjungere liceat similes flores non minus pulchros, ex ichthyocollâ per curiosiores inter nos fœminarum confici solitos.

 XI. Gela-

XI. Gelatina teſtimonium præbet de regno *Animali*, removet è minerali corpus, ex quo poteſt excoqui, tanquam ad illud non ſpectans: Non tamen viciſſim, omne, quod nihil amplius gelatinæ præbet per cocturam, ſtatim naturæ animalis eſſe vel fuiſſe negari poteſt, exemplo oſſium calcinatorum manifeſto. Hujus criterii uſus fuit etiam in declarandâ dentium & oſſium foſſilium origine & naturâ, quæ præter alias, ex ſtructurâ & mixturâ deſumtas, rationes etiam hoc gelatinæ phænomeno ex dubiorum adverſorum copiâ protractâ, mineralium cenſui abjudicari, ſuo autem regno vendicari voluit; quod latius proſecutus eſt *Carl.* Vires autem illius *reſidui* ab extractâ vel in totum vel in tantum gelatinâ *pulveris*, ſ. cornuum & oſſium ita præparatorum, meum modò non eſt proſequi. Remitto talium curioſos ad examen abſorbentium, quod inſtituit *Langius* in diſput. ſingul. & teſtimonium *Ludovici*, de vi ipſorum diaphoreticâ, cum parentheſi per omnem hanc doctrinam notabili: Aliam eſſe ignis, aliam ſtomachi reſolutionem, vel remediorum inibi adaptationem. Interim ad analogiam gelatinarum *Cnæffelius* ſcobem eboris cum aquâ ſæpius in paſtam contundendo & ſiccando, *Zwelferus* typhas cervi & viperas per lentam & repetitam phlegmatis abſtractionem, præparare docuit. *Papinus* autem vi digeſtoris ſui obtinuit maſſam, ſapore & odore caſeo ſimilem, eſui aptam, uſui tamen medico needum deſtinatam, nec mihi ſatis notam.

XII. *Lindanus* in ſelect. med. exponit ambitioſum jus, ſeu *condituram*, quâ delitioſum jus fieret; ita enim græci pariter ac latini, ut ait, appellant ea, quæ fiunt affectato ſtudio, enixâ operâ, ingenti ſumtu, cuique omninò liceret parcere, & nihilominus ſatisfacere non tantum neceſſitati, ſed & voluptati. *Ludovicus* quoque l. c. taxat juſcula quorundam plus quàm Sybaritica. Me ſi quis audit velitve ſequi,

ſimplici

ſimplici gelatinâ contentus erit, pretioſa ſuis formulis, ſuis perſonis reſervabit. Scil. *auri foliorum* drachmam cum capone pro deſtillatione per alembicum: Aut capones non niſi *viperis* paſtos ad modum prolixum *Zwelferi*; vel *oſſicula cordis cervi*, quæ *Welſchio* etiam nimis pretioſa, minus neceſſaria videbantur; *typhas* item vel tenella cornuum germina, in quibus tantam gratiam non invenit *P. Caſtellanus* de eſu carnium, ac magnates, & quæ, quia ſanguine turgent, nec pulverem dant ita albicantem, uti adultiora cornua, nec gelatinam ita claram.

XIII. *Compoſitionis animalis*, id eſt gelatinarum è farragine diverſarum ſpecierum & partium obtinendarum, ſpecimen ſuppetit in juſculis, quæ neſcio an conſumpta, an conſummata, *conſumé* aut *conſommé*, rectius dicuntur. An quaſi abſoluta & perfecta, totam ſubſtantiam complexa? An ob carnem, forti longâque coctione quaſi conſumptam? Quicquid ſit de nomine, pro parandis ita compoſitis gelatinis carnes accedunt duris partibus, & obtinetur craſſior, ſatura magis, & pulpoſa conſiſtentia. Baſin communiter conſtituit *capo* probè contuſus & confractus, cum *carne* vitulinâ, bovillâ, *oſſa* cum raſuris cornuum, excoquuntur vaſe ſtanneo cochleâ probè obturato. Aliàs jus galli junioris ad nutriendum, veteris ad abſtergendum magis valet, juxta *Primeroſium* in d. vulg. err. Apud *Mynſichtum* proſtat decoctum galli antiqui farcinati; In *Theſ. Secr. Cur.* capo pomis borſdorfianis, ſem. frigidis, herbisque ſimilibus repletus; A *Lanciſio* ad ſtomachi languorem commendatur jus pipionis turratilis, in cujus ventre ſaſſafras, viſc. quern. cum rad. & herb. deobſtruentibus, ſtomachicis, & cephalicis fuerat incluſum. Pro tabidis ex morbo gallico mirabile putavit ſe publicaſſe *Septalius*. *Cancros* gelatinoſæ ſubſtantiæ jungere docuit *Sachſius* in gammarolog. quales gelatinas ex cancris fluviatilibus, cum carnibus

nibus & cornibus animalium paratas, laudat inprimis *Exc. Dn. D. Zellerus* in disp. de Phthisi; Et jusulum gammarorum hecticis præcipuè commendat *Fullerus.* Ne verò quicquam videatur omissum, addunt insuper hodie etiam *Cochleas.*

XIV. Componendi succos *animales* & *vegetabiles* modus occurrit præcipuè triplex. Præter modò dictam caponis farcturam, rasuris ordinariis accedunt *herbæ*, *flores*, *radices*, morbo convenire creditæ, & simul excoctam ita gelatinam sistunt compositam: Formula prostat in d. compos. medic. *Königii.* Circa quales habendam modò putem duarum circumstantiarum rationem: Scil. ut servetur pro posse gratia huic formulæ, quâ se commendant gelatinæ, ne oriatur ex multiplicatione ingredientium nauseosa qualitas; Certè nec ad palatum solent esse tales, nec stomachus illis est ita ferendo. Dein, simul ista coqui non est consultum, quin potius duris, longam fortemque coctionem requirentibus, molliores herbæ demum addantur sub finem. Aliis convenientior videtur modus gelatinam dissolvendi & sumendi in & cum *jusculo*, herbis, sicubi opus fuerit, singulis vicibus recenter *alterato*, aut cum uno alterove cochleari *succi expressi.* Qualium jusculorum laudes hîc non prosequar, sed remittam potius B. L. talium cupidum ad dissertationes, quas reliquit *Præsidis B. Avus*, in specie illam de *casu*, *in quo menses p. n. emanentes per menagoga ciendi non sunt*, & alteram de *cardialgia*; imò recentius ad Curas *Riedlini.* Propius tandem accedit moderno mori gelatinas vegetabilibus sociandi ille modus, qui solvit ipsas in herbarum siccarum, *theæ* aut similium, *infuso*, tenuive *decocto* solidiorum radicum, lignorum, chinæ, sarsæparillæ &c. quocunque. An ita *Willius* in regn. anim. *Kœnigii* scorbuticis commendat gelatinam cornu cervi cum trifolio fibrino? Utique combinationis hujus specimen præbere poterit triga illa *J. Franco* laudata, scil. idem hoc trifolium fibr. veronica & alleluja,

alleluja, nam multis conveniunt indicationibus. Huc omninò ſpectat, quippe novum uſurpandi gelatinas modum, & combinationis ſucci animalis atque vegetabilis ſpecimen ſuppeditat, quod felici ſucceſſu tentavit, & quia profuiſſe expertus eſt, aliis quoque non ſemel commendavit *Præſes*; Scilicet *cremorem hordei*, non ſalitum, benè excoctum, cum ſimplici *gelatinâ* cervino- eboraceâ ſingulis cibi porrigendi temporibus recenter permixtum, exhibere juſſit infantibus materno lacte non enutritis (quales *waſſer-kindlein* vocantur à noſtratibus) ſub vaccino autem lacte & pulticulis indè paratis non proficientibus, quin ferè contabeſcentibus. Certè non tulerunt modò facilè novam hanc pulticulæ æmulam cibi ſpeciem, ſed & citò profecerunt melius, ut brevi pingueſcere inciperent feliciter.

XV. Ulterius condiri ſolent gelatinæ multis modis, quos etiam paucis tangam. *Sal* quidem communiter excluditur (niſi ex §. 17. cum carne ſuillâ menſis frigidis inferri ſoleat) & gelatina, quia inſipida, uſurpatur, laudatur ac ſalſedini opponitur; Ad imitationem ferè puerperarum quarundam inter nos, quibus ſolenne eſt, abſtinendo ab aliis, ſolo tenui gallinaceo juſculo non vel vix ſalito, per primos à partu dies ſe non modò ſuſtentare, ſed & præſervare à gravioribus ſymptomatibus. *Saccharum*, ſyrupos, conſervas, & ſimilia dulcia, pro condiendis gelatinis uſurpari ſolita, an ſuperfluis, an nocivis accenſebo? Non exprobrabo ſuas delicatis addi cupedias, qui ſacchari uſum in ægrorum diætâ & pharmaciâ non abſolutè reformido, pro quo militat inprimis *Becherus* in Pſychoſoph. & recentior *Frid. Slare* in apologiâ pro ſaccharo: *Mortonus* ſpecialem exceptionem habet in phthiſi, ubi gelatinas palato gratiores fieri concedit, addendo tempore uſûs ſyrupum meliſſæ, caryophyll. rub. id. aurant. limon. &c. addit tamen, tales non adeò benè gelatinis convenire, quo-

 niam

niam quadantenus vires earundem frangant. Ita dulci succedit vel jungitur condimentum acidum, laudatus alibi *succus citri*, vulgò *acetum*, Ludovico etiam *spiritus aciduli*. Huc ergo illud *Wedelii*: Dulcis ad confortandum, tussim ac raucedinem asperæ arteriæ magis expetitur; acida ad refrigerandum; unde non promiscuè sunt usurpandæ. Adde aphor. nov. 13. sect. 2. *Sponii*: Aceti aciditas biliosis magis, quàm melancholicis confert. Mulieribus autem acetum longè magis adversum est, quàm viris. De cætero durabilior etiam est clara talis & acidula galreda, nec ita citò properat ad mutationem. Aliàs sperma ranarum in aquam resolutum à corruptione per alumen præservat *Zwelferus*. Modico etiam aluminis aquam glutine tinctam diutissimè à putredine præservavit scriniarius apud *Becherum* in Phys. subterr. Jusculis consummatis porrò sub finem coctionis *vinum generosum* addit Mortonus & Fullerus; uti *passulas* alii incoquunt. Similiter accedunt *aromata*, pro condimentis frigidiorum; vulgo frustum zingiberis sufficit; macis, nux moschata, cinamomum, citri & aurantii cortices novas afferunt facultates, præterquam quòd palato melius sapiunt. *Crocus* non colorem modò largitur, sed & virtutem. Transeant tincturæ aliæ. An *baccæ phytolaccæ* huic scopo conveniant, vel potius sint salubres, non noxiæ, dubitare sinit *Rajus* in Suppl. Granis Chermes pro confectione alkermes ipsas malè substitui monuit *Præsidis B. Parens* in E. N. C. D. II. A. VI.

XVI. Non vult componi gelatina cum propriâ suâ *pinguedine*, sed hanc respuit & excludit, si vel ex medullâ contusorum caponum, vel conquassatorum pedum jusculo accesserit & supernatet, nisi oris flatu fuerit depulsa, uterque liquor concrescit suo modo, ille in gelatinam, hic in axungiam. Communiter macræ, ut sic loquar, hauriuntur gelatinæ, quia non raro sumuntur frigidæ, ubi pingue concretum foret nauseæ.

ſeæ. *Baglivus* oleum amygdalarum & gelatinas plerumque ſimul proponit. An ergò ſervari & ſimul uſurpari proprium illud pingue, aut ſubſtitui aliud animale vel vegetabile, & in quibus caſibus, juvabit? Sunt hinc indè per familias unguenta potabilia, quæ vel rubor, vel viror inſignit. Poſcit fervidum juſculum pro vehiculo ſperma ceti. Modò ne pinguia ſtomachum offendant, aut quorundam facultatem diſcretivam ſingulari modo exerceant, quale in Cicut. Aq. *Wepferi* de hypochondriaco proſtat exemplum; quanquam & hoc fine ſoleat aliàs dari oleum, ſcil. ad procurandum vomitum.

XVII. Mollis hæc glacies, calore liquabilis, & aquâ ſolubilis, commodè ita hauritur *calidè*, interdum quibusdam ſola, melius in & cum juſculo quocunque. Paucæ erunt ciborum coctorum formulæ, ſ. lubricæ, tenuis, ſ. craſſioris conſiſtentiæ, quæ ſalubre tale acceſſorium non admittant, ſecumque deferant, ipſæ etiam illæ panatellæ *Helmontii*, de quibus ſtatim; Exemplum hoc eſſe poterit fraudis medicæ ſalutaris, quippe quam ignarus ſubeſſe vix ſuſpicatur, quia guſtui ſapor gelatinas non prodit. Quanquam autem actualis humidi calor faveat tali ſubſtantiæ reſolvendæ & diſtribuendæ, habeatque pro ſe rationes omnium, qui calidos hodiè potus amant: Aliis tamen magis ad palatum eſt galreda *frigida*, & convenientior interdum creditur ipſius non ſolutæ ſed frigidulæ uſus, quia citò ſatis in ſtomacho, quin ore ſtatim ſponte ſolvitur. Ita vulgò menſæ ſecundæ infertur gelatina extremitatum ſuillarum, pauco ſale & aceto atque aromatibus condita, de quibus *Caſtellanus* l. c. pedes, roſtra, aures, veſcidæ ſunt, parum nutriunt, & facilè deſcendunt; Et ex *Simeone Zethi*: Pedes utiles ſunt & boni ſucci, facilè enim concoquuntur, quapropter ſe ex morbo reficientibus idonei ſunt. Scilicet ſuillam veteres Medici laudarunt communiter. Alibi dulcacidæ gratiores & pulchriores galredæ, cavo citri vel aurantii cortice exceptæ,

& variis coloribus insuper tinctæ, vel per ipsos oculos invitant convivas. Hujus modò loci est blandus ille in primo corporis nostri limine frigoris sensus; Nam similiter *Schelhammerus* de sero sanguinis humani, vitulini, porcini, quod laudat hecticis, ita: Bibatur frigidum & crudum, nisi nauseet æger. Et quid sunt *aquæ* sic dictæ *resumtivæ*, in phthisi & atrophiâ aliàs commendari solitæ, vel decocta cornu cervi, non usti, sed raspati, & similium rasurarum, ad febres & spasmos, aut in decocto balsamico, edulcorante, &c. Fulleri, quàm gelatinæ tenues frigidè hauriendæ, quæ τὸ γλισχρὸν & sal volatile gelatinarum possident, prouti ostendit in Eteodromi sui mense martio *Exc. Dn. Lentilius*, qui paulò ante phthisico emulsionem amygdalarum dulcium cum liquefactâ caponis gelatinâ parandam non sine fructu præscripserat. Ita *Primerosius* l. c. potus frigidos febricitantibus placere magis & prodesse voluit; Et *Helmontius*, aliàs calidorum potentiâ talium patronus, pro cibo febrientibus apto, panem cum aquâ coctum in collam, cui tenuis cerevisia vino nupta accesserit, frigidè sumi jubet, ulterius coqui vetat. Inverso more acidulæ olim frigidæ nunc passim bibuntur calidæ. Famosa verò ptisana cichoraceo-avenacea quando frigidè, quando calidè sit haurienda, deliberationi medicæ relinquitur.

XIIX. Nefas foret, prætermittere aut subticere, quæ *adversus* gelatinas hinc inde vel inveni, vel audivi, undè sibi regulas cautelasque practicas eruet rerum suarum satagens. *Abhorreo in febri jura carnium, affatim nutrientia, juscula consummata*, scribit *Helmontius* loco non uno, nam extemplo natura detestatur eadem; caro enim, pisces, ova, & juscula facilè tum *cadaverantur*, ac minimè nutriunt; negotium febrili stomacho, nauseas, eversiones aliasque molestias parant, idcirco etiam cum excrementis se jungunt, & sequestrantur, postquam exhibuerint omnes anxietates: Secundum

illud

illud Hippocratis: Corpora impura (qualia febrientium, quibus ſtomachi nidoroſi, quibusque bonum, ſupervenire ructus acidos:) quò plus nutris, eò magis lædis. Solis itaque potabilibus alendum vult ægrum, quæ humectant, ſolantur, ſiti caloriquе ſatis dant, ariditates, ac debilitates indè conſequentes arcent; denique acida commendat, ſcilicet illud vitrioli, nitri, citri, atque ſimil.,, An ergò gelatina, quò purior, tenuior, acidisque temperata, eò melior? Uti *Screta* in febre caſtrenſi, diætam ægris præſcribens, laudat gelu gallinaceum, ſucco citri ubertim conditum; quo & cremorem hordei gratiorem reddi monet: Ubi tamen iterum, occaſione ptiſanæ Hippocratis, raro conſenſu Galenus & Helmontius hordei decocta cruda flatulenta minus probant, quos etiam ſequitur *Etmüllerus* d. præſcr. form. Cæterùm ad victum illum in acutis refer invectivam *C. Hofmanni* ex Jacch. in prax. med. Gal. contra inſolentiores mulieres in turbando illo: *Cibant manè & veſperi, mediâ die & nocte, &c. Er muß ja eine Krafft haben! dicunt.* Adde aphor. ex Fundam. Med. *Fr. Hoffmanni*: *Omnia alimenta ſubſtantifica, pinguia, juſcula ſic dicta confortantia, nimium ſumta, nocent in omnibus febribus, præſertim circa criſin.* Ad iſtam verò averſionem appetitûs à carnibus promtam atque maturam, & tardiſſimam ad illarum tolerantiam reverſionem provocat quoque *Stahlius* in phyſiologiâ, notatque chylum ex animali mixtione oriundum, ad corruptionem putredinoſam proclivem, fovere periculum putredinis, quod in morbis faſtidio illo quaſi cavetur; præfert igitur vegetabilem, inprimis moderatæ aceſcentiæ capacem, chylum.

XIX. Iterum *Helmontius*: Infirmus, longo morbo extenuatus, etiam poſt adoleſcentiam convaleſcens, facilè priſtinum carnis ſtatum reſumit: At non proinde, qui vitio cujusdam viſceris emaciatus eſt, ſimiliter ad priorem ſtatum reſurgit.

git. Hæcque eſt *tabis* ſanandæ inteſtinorumque ulcerum medelæ difficultas. Qui hanc febrium hecticarum cauſam urſit & inculcavit *Screta*, obſignavit tamen remediorum ipſi oppoſitorum claſſem glutinantibus, ſale volatili turgidis, in quorum cenſu eminet ex cornu cervi confectum juſculum gelatum. Sed de notabili hecticæ & lentæ tabificæ febrium diſtinctione ſi quis plura deſideret, evolvat poſitionum inauguralium tertiam *B. Dn. D. Gerlachii*. quas habuit olim ſub *Præſidis B. Avo*; & cap. 4. diſp. de *Febribus*, quam ſub *Præſidis B. Parente* habuit *Dn. D. Screta*. Qui volet ex Praxi Med. Gal. etiam hoc legat *C. Hofmanni*: Audias vulgo quiritantes quoſdam analepticæ ſubditos, ſupereſt mihi aliquid febriculæ, nec poſſum defungi. Dic tu, medicaſter, Siles? Tu non uſus es vero & adæquato contrario ſimili, ideò flammam nondum extinxiſti. Siccitas adhuc hæret oſſibus imis. In febribus itaque non ſatis eſt, ſi calor extinguatur, oportet etiam curetur ſiccitas.

XX. Qui acutorum ſymptomata ferocientia miteſcere præſcriptis acidis vegetabilium, anodynis & emollientibus remediis ſcripſit, *Baglivus* d. fibr. motr. Idem promiſcuum, nimium, imprudentem non modò olei amygdalarum, ſed & gelatinæ atque lactis uſum taxat, in caſu *relaxati* nimium & enervati ſolidorum *toni*; nimio juris uſu, ſimiliumque laxantium abuſu, *febres* tranſire in ſuas *meſentericas*, occultas, difficiles, ab erroribus diætæ methodique talis oriri cachexiam, hydropes, aſthmatum & apoplexiæ frequentiam prætendit. Pluribus, qui è morbo convaleſcunt, familiarem eſſe *alvi ſegnitiem*, dum adhuc juſculis aliisque tenuibus cibis veſcuntur, ex *Beverovicio* ad aph. 7. S. 2. notat *Schraderus*; ſimulac verò diætam ſolidiorem ſubeunt, mox quoque alvum ſolidiorem reddi, quòd præbeatur ſic materia fæcum, quæ ex victu tenui non poterat remanere. Huic ad latus ponam illud noſtris paradoxum ex *Primeroſio* d. vulg. err. Juſcula remorari purgationem.

XXI. Quanti ſit, negligere aphoriſmos 5. 1. 18. 2. & *avitum*

tum morem, quàm necesse rationem habere nationum, regionum, &c. *Wigandus* d. Philiatr. itin. docet exemplo infantis, robusti satis, quippe germano creti heroe, nutrici gallicæ malè concrediti, quippe quæ, posthabitâ virium ratione, puerulum meris gelatinis delicatissimisque jusculis, nimis parcâ manu alere conata, fame perire passa est. Infantibus & pueris nostras gelatinas in morbis, præter dictos & dicendos, tam epidemiis, e. g. tussi convulsivâ, quàm chronicis e. g. cardiacâ, rachitide, proficuas fuisse ubere exemplorum copiâ constat. Et experiuntur utique etiam adulti, appetitum redire vel augeri à gelatinis, non modò subacidis, quæ videri possent analogæ fermento stomachi, ubi acidum domi, sed & simplicioribus, quæ eluunt fortè quod obstat, & restituunt naturæ suum vigorem, ut & stimulus agendi, & organum percipiendi libertatem reacquirat. Hoc, quod in laude ponitur gelatinis, in adversum rapiunt alii, metuentes, ne vel *stomachus* sub illarum usu assuescat *mollibus*, impar futurus in posterum solidis, vel fame invitatus delinquat in quanto aut quali, & labatur indè iterum in pejus, ad novas porrò recidivas. Juvat habere attentam ad talia mentem, inprimis apud illos, quales audivi, qui de *passione* & ægrimoniâ nescio quâ *præcordiali* sub illarum usu solent conqueri, quam per sensum inanitatis & infirmitatis, cui compatiatur etiam caput, solent exprimere, ut à tenui gelatinâ, mane in jusculo sumtâ, ad prandium ægrè vel non durare possint teneriores quidam valetudinariorum, quos saturat, sustentat & confirmat gelatina ex §. 13. magis composita. Aliàs *Schraderus* l. c. spissiora juscula, amygdalata, ventrem languidum magis offendunt, difficilioris sunt distributionis, quàm ptisanæ tenuiores.

XXII. Si gelatinis *intestina inviscare* referret, eboraceâ profectò præsentiorem haberemus cervinam: sic alicubi *Ludovici.* Atqui videtur referre interdum. Tam acris causa, quàm nuda

nuda pars, viſcidum conveniens poſtulant. Tale plebi pauperculæ evporiſton ſit juſculum, paſſim laudatum, capitis vervecini, quod non modò demulcebit paſſiones inteſtinorum dyſentericis enema, ſed & pro potu hauſtum. Facultatem autem glutinandi non ita indiſcriminatim gelatinis eſſe magnam, ſed in iis magnam potius eſſe differentiam, ſupra jam notavimus ex *Papino*, & notant adhuc vel bibliopegi, qui gluten pergamenæ ovillæ præ-vitulinæ illo multò minus efficax aſſerunt. Illud verò potiſſimum videtur, quòd ſenſus de noxâ inviſcationis apud tales, qui gelatinas diu multumque hauſerunt, adeò non teſtetur, ut omninò ipſas in eis benè reſolvi concludendum ſit. Cæterùm non ignoro, cur viſcidum metuant multi; ſcil. quia cum acido claſſem cauſarum morbificarum ipſis abſolvit: Sed & novi, eſſe alios, qui paſſim prætendunt, ea non ſufficere. Apud *Etmüllerum* in med. theor. & pr. non ſolum viſcidum peccat, ſed & in aliis ſalſum, acre, ſeroſum, quod inter alia per talia gelatinoſa corrigi poſtulat. Dari autem caſus, in quibus præ nimis tenui infuſo theæ viſcidior illa gelatinarum ſubſtantia conducit, docuit *Præſidis Patruus, Exc. Dn. D. Elias Camerarius* in diſſ. tert. cap. tert. Suum ergò cuique temperiei & cruditati tribuere norit Medicus.

XXIII. Inter ea, quæ porrò adverſus gelatinas ex diſcurſu ſparſim hauſi dubiâ, illud unum è potioribus videbatur, quo *inſufficientiæ* voluit argui gelatinarum uſus. In quâ quidem agnoſcendâ non ero difficilis, quippe quam cum aliis remediis ferè communem habent, quorum pauca uſurpantur ſola, pleraque vel con- vel ſubjunguntur, quod ipſum prudentiæ medicæ vel maximè commendatum eſto. Modò menti jugiter obverſetur medendi methodus, quæ anima praxeos audit *Præſidis B. Avo* in diſp. de *Indic. Sympt.* Ita ſiquidem gelatina ſola locum alicubi & aliquandò habere velit, vel poſſit ſufficere, quibus tamen id non placet, vel minus tutum videtur, alia intermiſceat;

modò

modò quæ conveniunt, nec pervertunt quod ab istis ſperatur boni. Quòd enim gelatinæ benè poſſint ſimul ſtare cum aliis laude dignis remediis, quòd ea invicem non ſint incompatibilia, exempla docebunt. Si alterari & nutriri corpus ægrum commodè poſſe non videatur, niſi prævià *purgatione*, fiat id cum debitis cautelis. Si proſpicere in futurum, & conſulere recidivas febrium metuentibus videatur neceſse, quid vetat ſimul uſurpare famoſum *Corticem*, ſuis ſcil. horis medicis, & ſub cautelis non minus neceſſariis; Nam grande hoc è Peru nobis à Deo miſſum beneficium veneror, non contemno, dextrè modò & prudenter uſurpari volo. Si condire qs. *Nitro* gelatinam orgaſmus poſtulet, aut ſub hâc mordax occultare nitrum placeat, deducendum ita tutiùs ad partes demulcendas aut temperandas, commodè id fieri poſſe conſtat ex Diſpp. quas ſub *Præſidis B. Parente* habuerunt duo nunc vicini, ſc. Heydenhemii & in Imperiali Giengâ Phyſici, *Dn. D. Planerus* d. Uſtilag. Frum. & *Dn. Lic. Brodbeck* de Nitro inaug. Si ante & poſt paſtum *elixir aperitivum* cum *tinctura martis cydoniata* & *ſpecies diacretæ* hypochondriacis, aut in paroxyſmis nitroſi pulveres, ad noctem *theriacale* quid videatur dandum, non repugnabunt gelatinæ. Idem eſto judicium de aliis, de *lacte* ipſo, quod ſecundum regulas medicas uſurpatum multas multorum laudes meruit: Equidem, quod lac erit, & lympha eſt, id gelatina fuit, ſcil. nutrimentum corporis. Non dicam in morbis longis ſolere, imò debere, fieri tranſitum ab uno ad alterum, & per examina comparando attentè manifeſtum fore, quid laudis pro diverſitate temporum vel perſonarum huic vel illi, utrique vel alterutri remedio ſit tribuendum: Illud modò ponam, paucis præmiſſis, ſimultaneum lactis & gelatinæ, ſc. illius caprilli, vel vaccini etiam, ſaccharati manè, hujus cervinæ & eboraceæ ad veſperam, uſum oppidò benè ceſſiſſe fœminæ nocturnis ſudoribus, ardoribus doloribusque

D præcor-

præcordialibus, diu admodum vexatæ & multum consumtæ. Cæterùm nec desunt, qui gelatinas cum lacte aut emulsione amygdalarum ad crassiusculam consistentiam componunt & delicatis commendant; Ita *Zwelferus* caponis gelatinâ, amygdalis minutim conscissis refertâ, saccharo & aromatibus conditâ, utero gerentem reficit. *Fullerus* quoque suum *cibum album* eodem ferè modo parare docet, atque tabidis pro refectione commendat. Nec desunt inter nos fœminæ, quæ suis infantum pulticulis gelatinas miscuerunt cum fructu.

XXIV. Fuerunt etiam, qui commissam ferè *fallaciam non causæ ut causæ* voluissent oggerere, quasi verò illud juvisse dicatur, quod ultimò fuit usurpatum. Hoc vix concessero in casibus, quos diligenter me observasse prætendo. Habenda utique est ratio priùs assumtorum, nec nulla est, quæ tarda venit, quorundam efficacia. De juvantibus tamen & nocentibus quis prior aut potior testis erit audiendus ipso ægro, de cujus proprio sensu agitur, modò ipse & Medicus ad omnes circumstantias probè attendat: Ita se prodet discrimen juvantium & nocentium, aut frustraneorum. Interim, ut dictum, qui laudes hujus vel illius sibi probati remedii proponit expertus Rupertus, variè prius jactatus & vexatus, non eo ipso præjudicat aliis, quæ aliàs & alibi fortè suam quoque merentur laudem. Tandem verò doctrinam de Imputatione Medicâ, tanquam generaliorem & majoris momenti, aliis relinquo.

XXV. Minoris autem momenti erat illud dubium, quod alii movebant, quibus medicamentum dicebatur requiri in morbis, non sufficere *alimentum*; Spectare gelatinas ad diætam, non ad pharmaciam. Iterum, quisquis morbos plures paucioresve & abstinentiâ, & legitimo rerum non-naturalium usu, vel præcavere vel curare poterit, præterquam quòd medicamenta fastidientibus rem faceret gratissimam, næ is laudem potius merebitur, quàm reprehensionem. Interim

illis

illis fortè ſatisfiet, dicendo, gelatinam eſſe cibum medicamentoſum.

XXVI. Nec illud me movet, quò minus pergam in commendandis gelatinis, aut ut ab iſtis abſtraham, quòd præparatio ipſarum ſit nimis vulgata, communis, remedium adeò vile, *Galenicum*, non Chymicum, cui parando ſufficeret mulier-cula, & cujus artem ſibi vendicent ſeu melius calleant coqui. Nam evporiſta me defenſore non egent. Cauſam autem Galenicorum medicamentorum, tanquam Chymicis præſtantiorum, egit *Bohnius* ſingulari diſputatione. Nec tamen refragabor, ſi quis mea hæc referre velit ad prophetias muliebres in Mythol. Sacr. *J. V. Andreæ*, ubi in juſculis ſorbitiunculisque parandis fœminarum enitere ſapientiam falsè ſcribit pro more.

XXVII. Quibus ita ſe habentibus nunc in laudem quoque gelatinarum ſpecialiora Practicorum quorundam teſtimonia, in quæ iſta meditabundus incidi, paucis excerpere, atque ita coronidem imponere diſputationi liceat. *G. H. Welſchius dec. 3. cur. 2.* (præterquam, quòd catalogum Auctorum habeat, qui de uſu & laudibus cornu cervi ſcripſerunt) gelatinam ejus commendat, tanquam ſingulare ληξιπυρετὸν καὶ ζυμοστατικὸν remedium, ſibi ſæpius expertum, hinc dedit ad præoccupandum paroxyſmum, eumque indè leviorem, breviorem, cum copioſo ſudore finitum obſervavit; Sed cum aceto roſarum, antimonio diaphoretico, & ſyrupo limonum. *Moræus* autem in febrium paroxyſmis gelatinas ita cervi & ribium conjunxit. Inter primas Lineas *Riedlini* eſt illa 19. jun. anni primi, quam deſtinavit laudibus gelatinæ cornu cervi, ſpiritui hujus tantum non æquiparandæ, ut ait. Ex morbo longo & graviore convaleſcentibus, præcipuè hecticis, etiam deſperatis commendat, qui talibus haud parvum ſolamen attuliſſe obſervavit. In Actis *Nat. Cur. Uratislavienſium* ann. 99. *C. Helwich* profitetur; ſe frequenter uſum eſſe gelatinis accommodatis; & illis à Wepfero ordinatis ferè æmulis, in dyſenteriâ: *Screta* l. c. cap. d. dyſent. in coquendo jure bubulo gallinaceo, agnino, ſemper de ichthyocollæ ℥ij. ollæ indantur, de quo poſtmodum ſubinde horis medicis aliquot cochlearia præbeantur. *Baglivus* in apparatu variolarum fervorem & impetum ſanguinis, inflammationes viſcerum minantem, ut coërceat, naturæ motum adjuvet, præter & inter alia gelatinam

 cornu

cornu cervi, tanquam lene diaphoreticum, usurpat. Idem gelat. cornu cervi valdè suavem per intervalla dedit *colico*; utique colicæ nostrati olim s. spasmodicæ s. saturninæ conveniens remedium; & in casu suppressorum mensium à stricturâ solidi, & fibrarum exsiccatione, molliri potius & laxari vult istam per talia, qualium in censu est gelatina cornu cervi, quàm per acria & volatilia malè tractari; planè ad regulam, quam in disp. sup. alleg. d. cas. quo menses &c. dedit olim *Præsidis B. Avus*, qui alibi, sc. in disp. c. t. *Obex Curat.* contra aphthas partium internarum, frequentiùs, quàm vulgò putatur, dolorum internorum causas, feliciter per mensem & ultra exhibitam cum aliis gelatinam cervino-eboraceam laudavit. *Lancisius* d. mort. subitan. inter remedia, quæ illo anno illis maximè in curationum progressu profuerunt, qui à morbis istas minantibus evaserunt, numerat illa omnia, quæ aquoso fluido laxante ac temperato redundant, jura, succos, emulsiones, gelatinas, quæ nimirum tum sales acres & sulphureos temperare, diluere atque irretire, tum vel maximè convulsas alicubi vasorum fibras laxare valent. Et quid multa? cur peregrinis inhio, cum suppetant domestica? Quod enim de *B. Wepfero in App. E. N. C. III. 3.* scripsit Ipsius gener, *Illustr. Baro de Brunn*, quòd nimirum Iste variis frustra tentatis, tandem ad incitas redactus, senex, difficili anhelitu afflictus, solius gelatinæ cornu cervi usui inhæserit, & diætæ studuerit unicè, nec id sine fructu, scilicet morbo quidem non sublato, delenito tamen, & vitâ utcunque melius protractâ; Idem de *Parente suo desideratissimo*, Professore & Præceptore quondam de Academiâ hâc atque Auditoribus suis benè merito, ingenuè fatetur *Præses* meus, Ipsum diu infirmum valdè & tussiculosum, tandem ab hæmoptoë phthisicum atque lentè tabescentem, per integrum ferè lustrum, si non ultra, solo gelatinarum usu & diætæ observantiâ, absque magno medicamentorum apparatu, semet sustentasse. Quemadmodum igitur geminum hoc exemplum sistit nobis *Medicum* simul *ægrotum*, qui proin juxta §. 24. de proprio sensu & juvantibus atque nocentibus aut frustraneis testis erit omni exceptione major; Ita licebit etiam eò confidentiùs ad hæc provocare, & in hisce nunc acquiescere.

SOLI DEO GLORIA.